

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0472

0470

0476

0466

0481

0461

0521

0421

0571

0371

0971

Ende

Anfang

458

superior. Si quis autem vellet, posset se totaliter in petram trahere, quia foramen profundum est, sed quomodo sine adiutorio et sine extrahente reexiret vix video, quia non patet ei exitus motu retrogrado, sicut movetur cancer. In quo motu habet impedimentum supra et infra, sed non ante, nec retro; non enim tantum est intus de spatio, ut homo se vertat et cum capite primo exeat. Hoc ergo foramen est illud, ut pie creditur, in quod posuit Dominus Moysen, ut contemplaretur Dei posteriora. Si cui placet videre, quid sit Dei facies et Dei posterior pars, videat in Nicol. de Lyra super illum locum et Addi. cum replicis.

Foramine illo perspecto ascendimus ulterius, usque ad cacumen montis sanctissimi, in caput montis supra rupem, in cuius latere est foramen praedictum. Haec est petra, super quam jussit Dominus stare Moysen, Exodi 33.: Ecce, est locus apud me et stabis super petram etc. Super petram illam est hodie aedificata una capella, quae dicitur ecclesia sancti Salvatoris, quae erat ferreo osteo firmiter clausa, statque in loco, ubi sanctus propheta Moyses decalogum in duabus tabulis lapideis digito Dei exaratum accepit stans cum Domino solus in montis vertice, ut habetur Exodi XXXIV. Anno ante nativitatem Domini 1514 fuit lex data Moysi. Hanc capellam aperiente fratre Nicodemo, qui de monasterio nobiscum ascenderat, discalecati nudisque pedibus pro reverentia et sanctitate loci intravimus nosque, ut justum erat, devotius prostravimus in terram et locum illum, in quo Moyses legem de manu Domini accepit duobus signatum lapidibus deosculabamus et orationibus ibi lectis, prout in processionali terrae sanctae signantur, iudgentias plenariae remissionis (††) accepimus. Post orationem chorum intravimus, altare circumivimus et locum cum ingenti devotione et delectatione vidimus et frequentius vestigia angeli visibili et corporali specie Moysi ibi apparentis deosculati fuimus, similiter et vestigia sancti prophetae Moysis. Sunt enim, ut praedixi, ante introitum chori duo lapides supra sancta vestigia, in uno loco stetit angelus, in alio genubus flexis stetit Moyses, et sunt duo albi marmorei lapides in pavimento locati, et dicunt, quod sub istis lapidibus sint adhuc in petra impressa vestigia genuum Moysis.

